

les in baptismo acceptas. Ut enim in Jordane lavanti Naamani omnis lepra abstersa est, et caro ejus restituta: *Sicut caro pueri parvuli* (IV. Reg. V.) ita pœnitenti restituitur anima ea puritate, quæ similis vel æquivalens sit innocentie. Scimus Magdalenam post pœnitentiam præ cæteris a Christo dilectam: Petrum ad summam Ecclesie dignitatem evectum esse, et plus aliis dilectum, adeoque multo plus pœnitentiam acquisisse, quam peccando amiserat. Narrat Palladius, in hist. Lausiaca, c. CXL. virginem quamdam lapsam post pœnitentiam, qua per triginta annos mancipavit se obsequio ægrorum, plus Deo placuisse, quam placuerit in virginitate; sane Nabuchodonosor post pœnitentiam de peccatis actam, sibi restitutus est, et agnovit ac glorificavit Deum verum, quem prius non agnoverat: et probabile est eum ita obiisse et salvatum esse.

Multi laboraverunt ut invenirent lapidem philosophicum, cujus contactu omnia mutarentur in aurum; sed nondum is lapis inventus est. Pœnitentia talis est, per quam anima prius mortua, fit viva; horrida, fit pulcherrima; opera ejus moralia prius ærea, postea fiunt, aurea et meritoria vite æternæ, ita ut aquæ frigidæ potus porrectus sitiienti mercedem in cælo habeat.

III. Restituit etiam bona opera per peccatum mortificata, eorumque merita et jura ad coronas gloriæ prius promeritas. Renovat enim spirituale conjugium Spiritus sancti cum anima, ac proinde restituit animæ velut sponsæ monilia, quæ prius ei donaverat Deus. Novit bene Pater noster cœlestis se deponere gratiæ suæ thesauros in vasis fictilibus, quæ facillime franguntur, foreque servis suis magnam afflictionem, si omnis eorum labor præteritus, inanis foret: itaque vase per pœnitentiam reparato, illico infundit eis rursus thesaurum, prius habitum. Hoc promisit eis (sensu mystico) per Joëlem, cap. II. cum ait: *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo et eruca.* Quis nescit, quanta damna inferant locustæ, bruchi, rubigo et eruca frugibus et hortis? Sane a locustis Ægyptiacis: *Devorata est herba terræ et quicquid pomorum in arboribus fuit, nihilque omnino virens relictum est in lignis et herbis in cuncta Ægypto*, Exod. X. Eodem modo peccatum mortale in momento depascit animam, quantumvis omni virtutum splendore decoratam: *Si averterit se justus a justitia sua, inquit Deus, Ezech. XVIII. et fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* At vero pœnitentia reparat totum id, quod peccatum devoravit.

IV. Conscientiam parit tranquillam et sere-

nam, omni convivio jucundiolem. Quæmadmodum enim aer nubibus densus et obscuratus, postquam eas per imbrem exoneravit, serenatur: ita animus noster peccatorum tenebris obduetus, ubi per pœnitentiam ea abjecit et in aures confessarii effudit, sit tranquillus, lætus et amœnus. Testatur hoc Job, c. XI. dicens: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula* (hoc est, hilaris et serenus absque confusione apparebis coram Deo), *et eris stabilis et non timebis. miseriam quoque oblivisceris et quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis: et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Quibus omnibus describit lætitiâ hominis, qui per pœnitentiam expedit se a peccatorum laqueis: quando arca e captivitate Philisthæa recepta et reducta fuit Cariathiarim: *Requievit omnis domus Israel post Dominum*, I. Reg. VII. hoc est, magna in quiete et tranquillitate vixit. Ita cum quis ereptus de captivitate dæmonis recuperavit Dei gratiam, quomodo non sereno et pacato esse animo potest? Sane ubi bonus lætus audit: *Hodie mecum eris in paradiso*, huic verbo acquievit, nec quidquam aliud petiit, non dolorum relaxationem, non mortis accelerationem, non vindictam in Judæos. Et quis explicare queat, quanto cum animi gaudio, quanta cum æquanimitate reliquum vitæ in cruce exegerit? Quantum gaudiorum flumen obruerit cor ejus, cum audiit vocem illam Christi? Clodovæus Francorum rex de gravi peccato, quod confiteri erubuerat, a B. Eleuthero redargutus, profusis lacrymis id fassus, Eleutherium obsecravit ut sacrificium pro se offerret. Inter sacra tota Ecclesia collucente adfuit angelus qui preces exauditas et peccatum remissum nuntiavit. Unde rex Ecclesiam et Eleutherium multis affectu muneribus, lætusque ad interiora regni se recepit, ut haberetur in archivis et officio Ecclesie cathedr. Tornacensis. Hunc in modum is, qui prius conscientiam suam præ horrore peccatorum vix inspicere potuit, postea absolutus cum omni jucunditate descendit in recessum cordis sui.

V. Restituit et famam, quam peccata abstulerant, Quæmadmodum enim arbor ex aliqua stipitis parte læsa, medela adhibita, iterum calum et corticem vulneri obducit, ut nihil læsionis appareat: ita pœnitentia seria et correctio morum corrigit priorem infamiam et restituit honorem lapso. Patet in Davide, Magdalena, Matthæo, Zacchæo, Petro, Paulo, alisque, quorum pœnitentiam et sanctitatem solummodo loquimur, non peccata, quæ vita posteriore deleverunt.

In hujus rei indicium nuditatem primorum parentum textit et correxit Deus tunicis pelliceis, postquam ipsi in signum pœnitentiæ tegere se studuerunt foliis ficuum asperis et carnem stimulantibus (quod sentit Irenæus, I. III. c. XXXVII. eo quod relictis aliis foliis, quæ minus carnem vexare poterant, ficulnea elegerint) quasi facto cilicio. Quare si peccator studeat per pœnitentiam punire sua scelera, aderit mox Deus, et vestiet illum honore et bona existimatione, ut ita inter homines rursus apparere possit. Atque hæc sunt calceamenta filii illius prodigi, quibus non jam velut servus, sed ut liber et ingenuus ingreditur.

VI. Mutat decretum Dei, teste Jerem. cap. XVIII. dicentis in persona Dei: *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Probavit hoc in Ninivitis, qui cum ad Jonæ prædicationem confugerent ad pœnitentiam et punirent semetipsos jejunio: *Misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis; et non fecit, Jonæ III. Hebr. pœnituit eum super malo, quod illis inferre decreverat.* Ecce pœnitentia Ninivitarum flagellum Deo extorsit et decretum ejus mutavit. Hinc Tertullianus, I. de pœnitentia, dixit: *In quantum non peperceris tibi, in tantum crede, Deus tibi parcat.* Quare pœnitentia recte vocatur civitas refugii a S. Gregorio, I. X. moral. c. V. siquidem peccator ad eam confugiens, a morte et vindicta Dei immunis est.

Ad hæc Deum sibi rursus benevolam reddit, uti expertus est Henricus II. Angliæ rex qui necis S. Thomæ Cantuariensis reus, cum publicam egisset pœnitentiam, plura insperato mox a Deo beneficia recepit. « Imprimis enim sequente die (post pœnitentiam nudis pedibus peractam) cum rex, inquit Herobertus, apud Baron. anno 1174. maculatis sic pedibus ut venerat, needum refocillatus audiret ante sepulcrum martyris missam de martyre, eadem ipsa hora rex Scotorum vehementissimus ipsius impugnator, fortuito quodam casu ab exercitu suo parum deflexus, a militibus quibusdam paucis et mediæ manus hominibus, qui inter paucos prædicto regi Angliæ favebant, interceptus est, et sine pugna et plaga captus. Deinde, non longa mora, et cismarini et transmarini rebelles, in regnum quod domino suo tetenderant, ceciderunt. Videntesque alii tam subito eum eo manum Dei valentiam, siluerunt universi, et factum est in pace regnum ejus; qui hæc tanta, eo plus miraculosa, quo tam cita, cuncta adscripsit Domino, et glorioso martyri Thomæ, cui certissime erant adscribenda. »

VII. Mutat hominem in virum alterum, ex

carnali in spiritualem, ex bestia in hominem. Cujus rei typus et exemplum fuit Nabuchodonosor, qui ob peccata sua ab hominibus ejectus est, et in silvis inter bestias degens reptabat, herbas comedebat et mugiebat; postea sibi restitutus et in se rediens ac pœnitens, pristinam etiam hominis speciem et regis dignitatem est consecutus, Dan. IV. Ita pœnitentia vera et seria exuit hominem bestialibus moribus, et induit humanis. Isæus sophista Assyrius cum primam ætatem dicasset voluptatibus, simul ut ad virilem pervenit, veluti alius subito factus miram induit morum severitatem. Percontanti enim cuidam, num illa (femur ostendens) videretur ei formosa, respondit ille: *Desit laborare ab oculis.* Ab altero interrogatus, quis piscis aut quæ avis esset ad vescendum suavissimam, respondit: *Ista curare desii*, Philostratus, in sophistis. Hunc in modum qui a peccatis vere resipuit, respondet omnibus illecebris: *Desii hæc curare, desii hæc amare, etc.*

VIII. Proximum etiam ædificat. In lege veteri, quidquid tangebatur carnes hostiæ pro peccato, sanctificabatur, Levit. VI. ad indicandum: *Quia pœnitentium gemitus imitantem emundant, inquit Radulphus. S. Macarius Theopemptum verecundantem confiteri sua peccata ei confitendo, ad confessionem impulit atque a blasphemie tentatione et diabolo liberavit. Idem fecit S. Ignatius Loiola: nam Parisiis confitendo peccata juventutis suæ cuidam sacerdoti impuro, magna contritione multisque lacrymis, eum pariter ad lacrymas et confessionem impulit. De Maria Magdalena concionem inchoans S. Gregorius, homil. XXXIII. in evang. ait: « Cogitanti mihi de Mariæ Magdalene pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxum pectus illæ hujus peccatrici lacrymæ, ad exemplum pœnitendi non emolliant? »*

IX. Denique, pœnitentia regno cœlorum vim infert; idque cum violentia rapit, quod etiam in lege veteri adumbratum est, dum semel quotannis in die expiationis, quo populus se jejuniis et pœnitentia macerabat, summus pontifex ingrediebatur in Sancta sanctorum, ad Hebr. IX. et Levit. XVI. Qua re indicatum per pœnitentiam aperiri viam ad ingressum cœli. Quando ergo pœnitentia, auditores, tam fortis aries est ut perfringere portas cœli, quantumvis obseratas, queat, apprehendamus hunc arietem, eoque effringamus cælum. Grata est hæc vis Deo nobisque salutaris.

### CONCIO III.

#### MURMURATIONES DISSUADUNTUR

I. Murmur contra proximos: 1. Ex philautia. 2. Ex



invidia, 3. Ex odio.—II. Murmur contra magistratum: 1. Contra eorum promotionem. 2. Contra eorum ordinationem. 3. Contra exactiones. — III. Murmur contra Deum: 1. Contra tempestates. 2. Contra ejus clementiam. 3. Contra ejus justitiam.

## THEMA.

Murmurabant Pharisæi et Scribæ. Luc. XV.

Inter alias plagas, quibus Deus castigavit Ægyptum, non minima fuit plaga muscarum, quæ vel *cænomyx*, id est, muscæ communes seu omnis generis; vel ut legit Origenes, Augustinus, Philo et communiter Græci cod. *cynomix*, id est, muscæ caninæ erant. Eæ siquidem gravissimæ, id est, molestissimæ erant, et pervaserant domos Pharaonis et servorum ejus, omnemque terram Ægypti, corruptaque est terra ab hujusmodi muscis, ut habetur, Ex. VIII. Similiter inter alias vitiorum plagas, quas mundi princeps diabolus immittit in hunc mundum, non minima est murmuratio, quæ instar muscæ mussitantis et surrantis, homines infestat et canis instar allatrat: eaque non privatas solum proximorum ædes, sed etiam prælatorum et magistratum, Dei servorum: imo ipsiusmet cœlestis regis domum pervadit, omnibus obstreperit, acriter pungit, omnes inquietat, et tam communis est omni pene hominum generi, ut pene dici queat, universam terram ab hac peste, si non corruptam, saltem infectam esse. Certe in hodierno evangelio Scribæ et Pharisæi pleni et prægnantes erant ejusmodi muscarum, iisque Christum ipsum molestare non timuerunt, ut et alibi sæpius; quos dehortatur ab hoc vitio Dominus partim in hodierno evangelio per parabolas: partim Joan. VI. *Nolite murmurare invicem*: et apostolus ad Philippenses, c. II. *Omnia facite sine murmurationibus*. Adeamus igitur Christum, verum utique Moysen, uti has muscas a nobis auferre dignetur, nosque ab hoc vitio liberare. Sed videamus, quomodo ex omnium ædibus expellendæ sint.

I. Penetrant hæc muscæ domos privatorum et proximorum. Ac primo, murmurant aliqui ob reprehensionem vel offensionem ex philautia. Quotusquisque enim est, qui vel levi verbo reprehensus vel injuria aliqua affectus non illico remurmuret et vicissim quærat, quod in reprehendentem vel offendentem regerat. Quam multi canum instar, cum lapide alicujus correptionis impetuntur, statim concitantur, et vel jacentem vel jactam in se reprehensionem vicissim morsibus appetunt? Imo plurimos invenias similes lacui Isærensi, qui cum vel unicus in eum lapis injectus fuerit, illico fremere et intumescere, necnon exundatione sua satis, et arvis perniciem afferre incipit: quod testatur Joachi-

mus Vadianus et Pet. Hisp. Silv. p. II. c. VIII. Sic fecerunt Pharisæi, cum a cæco nato partim docerentur, partim arguerentur: mox enim in convicia proruebant dicentes: *In peccatis natus es totus et tu doces nos?* Ejecerantque eum foras, Joann. IX. simili modo excipit mundus correptiones et injurias, ad unum reprehensionis lapidem illico fremit et exardescit contra jacentem.

Sed imprimis murmuratores isti, fatuos se ostendunt et virtutibus vacuos. Fatuos quidem, quia si quis in eorum veste ostenderet eis sor-des aut maculam, haud dubie non murmura-rent, nec vicissim quærerent in ejus veste maculam, sed mox eluerent propriam; vitium vero sibi objectum adeoque etiam ostensum esse ægre ferunt, nec eluere curant, sed simili aspergunt arguentem. Vacuos vero virtutibus, maxime patientia, quia product suam impatientiam. Ut ergo dolium, quod pulsatum remurmurat, vacuum esse dignoscitur; plenum vero, quod non resonat: sic in proposito. Unde S. Bernard. in l. de modo bene vivendi, serm. XLVII. qui est de murmuratione, ait: « Hospitium cordis nostri per gratiam Dei sanctificatur et per inhabitationem Spiritus sancti, quando intus est charitas, pax, bonitas, humilitas, concordia, mansuetudo, et alia hujusmodi: hæc sunt nostræ divitiæ, scilicet boni mores et virtutes. Sed si incipimus inter nos litigare et murmurare et contendere, statim ab his spiritualibus bonis vacui remanemus et nudi. Quare? Quia virtutes non possunt manere cum vitis: nam et modicum fermentum totam massam corrumpit. » Hæc ille. Contra vero de prudente et disciplinato ait Ecclesiasticus, c. X. *Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus*.

Secundo, murmurant alii contra proximos ex invidia, cum vident illos sibi æquiparari vel præferri, crescere, exaltari, ditescere, laute vivere, licet alioqui malos. Ad instar catellorum, qui cum vident aliquid cibi dari canibus aliis, mox oblatrant quasi indigne ferant: sic murmurabant operarii illi, quod paterfamilias parem dedisset mercedem iis, qui una tantum hora laboraverant. Hinc ad compescendum murmur Pharisæorum in hod. evang. subjungit Christus tertiam parabolam, de filio prodigo: ejus frater cum vidisset illum a patre tam humaniter esse receptum, mactatum ei vitulum, institutum convivium, adhibitam symphoniam, indignatus noluit intrare in domum gaudii, ut cum patre et fratre lætaretur: sed murmurando dicebat: *Ecce tot annis servio tibi et nunquam mandatum tuum præterivi et nunquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. Ecce*

schema murmurantium de fortuna proximi. Dicunt enim illi: Ecce hi tam perversi immiseri-cordes, gulosi adeo augentur bonis tam repente, epulantur et vestiuntur splendide, emunt fundos et prædia, quæ prius vix terentium habebant: ego continuo meis laboribus victum tantum quærens, opibus meo vacans, nemini sum molestus et omnia facio, quæ debeo, nihil tamen ejusmodi fortunæ experior, et vix hœdum, quem comedam habeo: cum illi saginatis vescantur vitulis. Sed quid respondit pater: *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt, epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revivit; perierat et inventus es. Hoc idem respondet Deus, quod si bene expendamus, murmurare desinemus. Quid ergo ait? *Fili, tu semper mecum es, scilicet in domo mea semper meis sumptibus vixisti et nihil tibi deficit, licet non ita splendide sis tractatus. Quare tu qui murmuras, cogita primo, te a Deo in ejus domo, mundo et Ecclesia ut filium sustentatum et necessarium saltem habuisse, nunquam eguisse; illum vero, qui nunc abundat, forte olim eguisse: compensavi ergo illi priorem egestatem. Deinde, cogita omnia quæ Dei tui sunt, tua esse, tibi promissa et parata. Prudens autem filius non attendit, quomodo a patre tractetur, dum sub illo et in ejus domo nutritur, sed qualem ab eo hereditatem speret; quanto enim tenuius sustentatur et vestitur, tanto ampliorem sperat hereditatem: cum contra si nimis splendide ab eo haberetur, parum sperare posset. Quare si a Deo dure hic tracteris, securus esto, quod Deus reservet tibi hereditatem in futurum. Quid vero temporalia omnia, cum hereditate celesti comparata nisi unum quoddam convivium de vitulo saginato? Nisi brevis symphonia, quæ mox evanescit audita? Num tu vero malles hic convivium tam fluxum præ æterno illo? Denique, considera nos omnes fratres esse, et congratulari nobis debere nostra de fortuna et prosperitate: *Epulari, inquit et gaudere oportebat, quia frater tuus perierat, et inventus est. Ditissimum habemus patrem, cujus bona inexhausta sunt et in cœlo ab omnibus integre possidebuntur: unde nemo murmurare poterit.***

Tertio, alii propter odium, quod habent in proximum; quemadmodum etiam canes aliqui faciunt, qui ubi semel homini infensi facti sunt, postea vix reconciliari possunt, sive dure, sive blande ad eis tractentur. Vidi catellum, qui alicui tam infensus erat, ut si quis nomen hominis tantum exprimeret, statim in rabiem solveretur: fenestellam aspiceret, undique circumspiciens intraret, si ubi inimicum suum cernere posset. Tales Pharisæi erant; sive enim Christum cum Publicanis et peccatoribus manducaret, di-

cebant: *Quia hic peccatores recipit et manducat cum illis: et: Ecce homo vorax, et potator vini, amicus Publicanorum: sive ad ipsos divertebat, et: Ipsi observabant et carpebant eum: eique oblocuturi erant, sive assereret dandum Cæsari tributum, sive negaret. Tales etiam erant fratres Josephi, qui oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, Genes. XXXVII. quidquid enim diceret vel faceret, id omne cum murmure accipiebant et indignatione. Unde optime dixit Jacob de eo: *Fera pessima comedit eum, bestia agri devoravit eum, odium videlicet. Talibus feris circumdatus erat S. Ignatius martyr, qui in ep. ad Rom. scribit: « De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus qui me custodiunt; quibus et cum benefeceris, pejores fiunt. »**

Sed ne dubita, eadem voce aliquando respondebit tibi Deus, quo modo tu respondes proximo: quo modo respondet echo objurganti silvam. Sic enim etiam Joseph, posteaquam princeps Ægypti factus est, et ipse durius locutus est ad fratres, quasi ad alienos, sæpius ingeminando: *Exploratores estis, quidquid ipsi ad sui excusationem afferrent, totum enim indigne et pro falso accipiebat, et studio eis culpas aliquas, quarum minime reos sciebat, impingebat, Genes. XLII. Ad eundem modum judicaturus aliquando Dominus loquetur illis durius, qui durius locuti fuerint proximo. Cujus vocem prævidit Joannes fore: *Vocem quasi aquarum multarum, Apoc. 1. Quam enim grave illud murmur contra pulsantes ad cœli fores: Amen dico vobis, necesse vos: tametsi pulsantes valde humaniter et blande loquebantur: Domine, Domine, aperi nobis. Sic nimirum ubi tu clauderis proximo januam benevolentie, claudet eandem tibi Deus.**

II. Pervadunt hæc muscæ domos servorum Dei, id est, præpositorum et magistratum; quos etiam et quidem vehementer infestant. Imprimis nil frequentius quam murmurare, cur hic vel ille in magistratum electus sit, quod sit homo inhabilis, rudis, etc. Subditi quærentur de principe, servi de dominis, cives de senatu. Ita Core, Dathan et Abiron murmurabant contra Moysen, quasi Aaron frater ejus illegitime et immerito sacerdotium consecutus esset, Num. XVI. sic mortuo Salomone murmurant coram Roboam, succedente ei filio, de jugi aggravatione, III. Reg. XII. Sed quid effecerunt suo murmure hi omnes? Primi a terra absorpti sunt: Israelitis dat pro Salomone regem pejorem, qui subditis dicebat: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus occidit vos flagellis, ego autem eandem*



vos scorpionibus. Ita nimirum puniuntur ejusmodi murmuratores, quo modo in fabula impatiens ille asinus, qui de hortulani sævitia quærens, Jovi supplicabat, alium sibi dari herum. Exaudit Jupiter asinum et dat illi tegularium apud quem tegulas gravioraque vectaret onera: accessit rursus Jovem, et petit mitiorem herum. Itaque exoratus Jupiter, dat ei coriarium, quem ubi pernovit asellus: *Me miserum*, inquit, *qui dum nullo sum contentus domino, in eum inciderim, qui nec corio quidem meo, quantum auguror, parcat et pelli meæ insidiabitur.* Prudentius anus Ila Syracusana cum pro Dionysii tyranni diuturna vita preces funderet assiduas, interrogata ab eo, cur sola hoc faceret, respondit: *Quia meo ne te extincto deterior tyrannus succedat*, Lips. cent. 1. miscellan. ep. IV. Orando itaque non murmurando bonus magistratus a Deo est impetrandus. Et sciendum præterea, quod omnis potestas est a Deo: et quod tale murmur vergit in ipsum Deum. Sic enim murmurantibus illis Core, etc. respondit Moyses, Deum audisse murmur eorum, hoc est, quasi contra Deum factum: *Nos enim quid sumus?* inquit. *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Unde et Dominus illud quasi contra se fuisset, punivit quemadmodum et in Maria murmurante contra Moysen fratrem.

Secundo, murmurant subditi contra superiorum actiones, leges, statuta, decreta, quasi ea inconsulta et minus provida, vel etiam reipublicæ perniciosa essent. Sic murmuravit Judas, quod Christus non prohibuerit unguentum effundi a Magdalena super caput ejus; quomodo multi subditorum loquuntur: Potuissent hæc expensæ a nostro magistratu melius collocari, hoc vel illud providere. Ecce huic connivetur, aliis non item, etc. Sed et hæc murmuratio contra Deum est; quia: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et sibi damnationem acquirit*, ait apostolus ad Rom. XIII. Et credendum quod eum Deus mundum regat iis interpositis, afflet eos singulari quadam gratia, ut intelligant quid reipublicæ magis expediat; dareque eis, uti Salomoni cor docile ad judicandum populum. Ut taceam, quod cuilibet in arte sua credendum sit, et magistratus alioquin plebe sit oculatior, ideoque semper in meliorem partem interpretandum, et pro æquo habendum quod ipse statuit. Id enim tametsi initio non appareat apparebit tamen in fine. Sicut cum multi fabri lignarii laborant ad extruendum ædificium: unus jubetur a magistro secare, alius dolare, alius terebrare, alius acuere, alius sulcare, etc. forte nullus scit, nec interrogat quorsum hoc vel illud imperetur: novit vero magister, qui ad extremum omnia ligna pulcher-

rime connectit et ædificium erigit. Sic Dominus Petro noluit dicere, cur ante cœnam lavaret eis pedes: *Scies autem postea*, inquit, dicere volens videlicet ad eucharistiam tota conscientia accedendum.

Tertio, murmurant subditi contra superiores ob imposita sibi ab eis onera, præcepta vel exactiones, sic Num. XI. ortum est murmur populi Hebræi contra Moysen quod eduxisset eos in desertum, murmur, inquam: *Quasi dolentium præ labore*, id est, fatigatione ex itinere: *Quod cum audisset Dominus, iratus est: et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem.* Ejusmodi autem murmur molestiam parit primo, ipsi murmuranti, quia onus ei conduplicat. Unde Seneca, l. II. ep. XXVIII. ait: «Vadis huc et illuc, ut excutias insidens pondus quod ipsa jactatione incommodius fit. Sicut in navi onera immota minus urgent, inæqualiter convoluta citius eam partem, in quam incubuere, demergunt:» et rursum: «Optimum est pati quod emendari non potest.» Deinde, molestum est superioribus sicut sessori equus progrediens calcariibus; aurigæ item rotæ currus stridentes. Quinetiam aures Domini Sabaoth offendit ejusmodi stridor: *Quoniam auris zeli audit omnia*, ait Sapiens, Sap. 1. et *tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest.* Sed modo non etiam obesset; obest autem, quia murmurantem merito obedientiæ privat, et inducit ei maledictionem pro benedictione: *Manus enim miles est, qui imperatorem gemens sequitur*, ait Seneca, ep. XIV.

III. Ascendunt et evolant hæc muscæ, ad ipsam usque cœlestis regis domum, eique impudenter obstrepunt. Et imprimis murmurant alii maxime agricolæ et viatores contra Dei providentiam, quod non pro ipsorum placito ordinet tempestates; modo conqueruntur de nimia siccitate, modo de nimis pluviis, modo de hiemis productione, nivium copia et importunitate, modo de harum vel illarum frugum pernicie, pluviarum exuberantia, frugum defectu, juxta id Psal. LVIII. *Si fuerint saturati et murmurabunt.* Contra hanc providentiam murmurabant in deserto Judæi, quod aqua deficeret, quod manna desiperet, quod caro non esset: *Numquid et panem poterit dare? Quis dabit nobis ad vescendum carnes, etc.?* Quorum murmur auditum quidem a Deo, sed in perniciem eorum; datis enim carnibus: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos.* Nimirum periti et subtiles artifices indigne ferunt et merito, si in artificio suo culpentur aut doceantur ab ignaris: vel si rusticus doctori velit jura explicare, vel

explicanti obloqui. Subtilis artifex Deus et expertus paterfamilias, qui solus et exacte novit, quid cui debeat et conveniat. De quodam eremita, in vitis pp. legitur, quod cum olera seminasset, et pluviam eis necessariam judicasset, petit eam a Deo, qui non modo illam, sed in posterum qualem optasset, tempestatem concessit: et tamen olera ejus omnia periire. Quæ de re postea a socio reprehensus fuit, quod merito id passus esset, qui prudentiorem se ipso Deo existimasset. Rectius ille agricola, referente Peraldo, in summa virt. et vit. qui semper in agris suis fructus habuit uberiores, eo quod se omnes tempestates juxta placitum habere assereret; quia videlicet omne id vellet, quod vult Deus. Intellexit hanc Dei providentiam Ovidius, qui finxit, l. III. metamorph. Phœbi filium Phaethontem, cum aliquando precibus impetrasset a patre, ut equos et currum solis regere posset, inexpertus auriga modo solem nimis procul a terra abduxit, et terram frigore perdidit; modo nimis prope adduxit, eamque combussit: unde a patre fulmine dejectus est. Similes rectores nos foremus, si pro libitu nostro Deus daret nobis tempestatem; dum enim agros nostros rigaremus pluvia, aliorum interim agros mergeremus: dum nostros calore foveremus, alieno æstu cremaremus. Milites Caii Cæsaris sub dio convivantis et indignantis, quod interim pluvie, tonitrua et fulmina incidissent, jussu Cæsaris contra Jovem (ut putabant) sagittas in altum ejaculabantur: sed eadem in ipsorum capita recidentibus multos vulnerabant. Refert Seneca, l. 1. de ira; Suetoz. in vita duodecim Cæsa. Hoc lucratur et alii aliud qui contra tempestates murmurat: seipsum lædit, non Deum. Cæsar iste sicut dioprandens serenitatem voluit, alius forsitan agricola consito tunc agro pluviam desiderabat, alius forsitan nauta eodem temporis articulo navigans ventum optavit. Quid tunc ageret numen, cui potius quam aliis concederet postulata? Imo sint tres molitores, paris officii, quorum unus habeat molendinum suum ad exiguum rivulum, alter ad perennem fluvium, tertius in edito loco ventorum vi agendum. Primus desiderat crebras pluvias, alioquin deficiente et siccato rivulo, molere nil poterit: alter vero deprecatur instantes pluvias, ne fluvii inundatione, sistatur molendinum: tertius ventos optat, pluvias et tranquillum tempus odit. *Quis ergo his tribus simul mittat tempestatem omnibus placituram? Videmus ergo fieri non posse, ut tempestas semper eveniat ad nutum nostrum, quia perdet alios.*

Secundo, obloquuntur alii Dei clementiæ, quod perditos aliquos homines et nocentissimos Ecclesiæ, piorum hostes ac persecutores tandem

toleret, eorum noxia consilia et attentata non impediatur, ipsos non exterminet. Item quod minoribus dignis magna beneficia præstet, etc. Sic in hodierno evangelio Pharisæi murmurabant, quod Christus peccatores reciperet, et cum illis manducaret. Sic Pharisæus ille, quod Christus Magdalenam ungentem pedes ejus tolerarit. Sed quid si et tu peccator sis, fueris vel futurus sis, num similiter dices, te a Deo exterminandum esse? Nonne omnes quotidie oremus: *Et dimitte nobis debita nostra?* Certe operarii illi murmurantes in patremfamilias, ab eodem mox repercussi sunt, dicente uni ex illis: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Tertio, murmurant alii contra Dei justitiam, quod videlicet ipsi durius et diutius a Deo flagellentur morbis, paupertate, annonæ caritate, etc. Sic Israelitæ murmurabant, quod eduxisset eos ad accipiendam terram promissionis, quam tamen audiebant esse munitissimam, a fortissimis habitatoribus cultam, adeoque ut putabant invincibilem: volebantque regredi in Ægyptum, Num. XIV. Quamobrem dixit ad eos Dominus: *Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me?* Et idcirco licet tunc jam vicini essent terræ promissæ, et soli montes Idumææ interessent; in pœnam murmurationis jussit eos reverti in solitudinem per viam maris rubri, in eaque morari et vagari per annos triginta octo, donec omnes illi murmuratores in solitudine morerentur. Experimur etiam nos his temporibus diuturna et gravia Dei flagella in dorso nostro, unde forte quam plurimi contra Deum murmurant, quasi immeriti hæc patientur, sed deponant, quæso, murmur. Nam primo quid si rem: *Nobis necessariam cupimus abjicere?* Quemadmodum dicebat quidam in vitis patrum ægroto alicui cupienti convalescere. «Ille solus de flagello murmurat, inquit S. Greg. qui causam percussoris ignorat.» «Scit autem cœlestis medicus, ait S. Aug. quid nobis daturus sit ad consolationem et quid subtracturus ad exercitationem.» Profecto si cum asina Balaam contra cædentem nos Deum murmurantes interrogare vellemus: *Cur percutis nos? Ecce jam tertio, responderet illico, quia commeruisti*, Num. XXI.

Deinde, quid mirum si non cesset Deus flagellare, cum non cessemus nos peccare? Ad medelam nostram infliguntur nobis verbera: unde quamdiu non emendamur, tamdiu flagellamur. Inspiciamus, quæso, vitam nostram; et videbimus nos in amore Dei et proximi, in re divina et orandi studio prorsus ignavos: contra in augenda re domestica vigilantissimos. Interim in mediis salutis periculis constituti securi in utramque aurem dormimus et dicimus: